

plures cum illa historia usi fuerint contra gentiles et Judæos, nec tamen commenti ab his sint accusati, omnino vera narrasse censendi sunt.

10. *Respondeo. II.* Quoad circumstantias ipsam versionem contingentes, ob conspirantia Auctorum nominatorum testimonia, probabilius videtur. 1^o Regem Ægypti fuisse PTOLOMÆUM PHILADELPHUM; cum illius patrem Ptolomæum Lagi nominent soli Irenæus et Clem. Alexandrinus: alii vero recentiores, qui bibliothecæ erectionem ad tempora Ptolomæi Evergetis aut Epiphaniis vel etiam posteriora remouent, suam chronotaxin non admodum probent. 2^o ELEAZARUM Pontificem fuisse eum, qui ad preces Ptolomæi misit Interpretes; adeoque vel manifesto anachronismo errasse vel memoria lapsum Justinum, qui Herodis auctoritate missos Interpretes in Apolog. scripsit: Epiphanius autem Synedrion missionis auctorem faciens facile conciliari potest. 3^o Non solum Pentateuchum, sed omnes Hebræi canonis libros ab Interpretibus fuisse translatos; quamvis enim Aristæas, Philo et Josephus Scripturarum Legis solum mentionem faciant, Legis tamen nomine acceptam a Judæis fuisse omnem Vet. Testamenti Scripturam Sacram ex Joan. 10. ac 15. et 1. ad Cor. 14. constat. Nec adversatur reipsa HIERONYMUS, utpote qui in commentariis Prophetarum passim versionis hujus mentionem facit: unde dum nonnunquam contrarium dicere videtur, id non asserendo sed subdubitando aut ex aliorum sensu fecisse dicendus est. 4^o Translationem ab Interpretibus esse ex puris fontibus et rite factam; quia rursus præter majorem circa hoc Auctorum consensum, id probat hujus versionis usus inter Apostolos, sanctos Patres et priorum seculorum Christianos vulgaris: unde discrepantia ejus a textu hebraico ad exemplaria corrupta, non vero ad autographum referenda est, ut ipse HIERONYMUS in Præf. 1 et 2 ad Lib. Paralip. facit; qua ratione idem alibi aliud dicens est explicandus.

11. *Respondeo. III.* Quoad modum versionis factæ (an singuli Interpretes scilicet in singulis cellulis inclusi fuerint, sicque seorsim totam Scripturam iisdem plane verbis converterint, an collatis invicem studiis interpretationem fecerint) non satis exploratum sed adhuc sub judice lis est. Cellularum mentionem primus fecit Justinus in admonit. ad gent., quem Irenæus, Clemens Alex. Cyrillus Hieros. sunt secuti; nec dissensit Epiphanius, nisi quod voluerit binos singulis cellulis fuisse inclusos. Eidem sententiæ adhaeret AUGUSTINUS L. 8. de Civ., et favet Philo, dum ita scribit: *In eo secessu cum consedissent solitarii, nemine interveniente arbitro, tanquam numine correpti prophetabant, non alia alii, sed omnes ad verbum eadem, quasi quopiam dictante singulis invisibiliter.* Contrarium tuetur HIERONYMUS in præf. ad Pentateuch., ubi sic loquitur: *Nescio quis primus auctor septuaginta cellulas Alexandriæ mendacio suo extruxerit, quibus divisi eadem scriptitant; cum Aristæas et multo post tempore Josephus nihil tale retulerint, sed in una basilica congregatos contulisse scribant.* Et ARISTÆAS quidem ita rem narrat: *Viri singula inter se disserendo consonum quod edebant: rursusque ex iis, in quibus omnium consensus accesserat, illa Demetrio habenda servabant, quæ digniora et elegantiora videbantur. Extendebatur vero consensus hujusmodi et disceptatio ad nonam usque diei horam; soluto vero hujusmodi*

consilio ad curanda corpora disceditur. JOSEPHUS autem sic refert: *Illi vero non parcentes labori, quam poterant accuratissime interpretabantur usque horam nonam assidentes operi... Mane autem regiam ingressi, salutato Rege, in eundem locum ad institutum negotium se referebant.* Accedit, quod juxta eosdem fuerit unicus codex Hebraicus, ex quo versio erat facienda; et quod ea absoluta Judæi Alexandrini fuerint convocati, ad audiendam examinandamque interpretationem: id quod de communiter facta rectius intelligitur; cum, si a singulis facta fuisset, plures inter se traductiones fuissent conferendæ, et unica coram Judæis prælegi non potuisset. Eadem dissensio regnat inter Recentiores eruditos.

Cum posteriore hac opinione conciliari nihilominus potest sententia statuens Interpretes hos fuisse divinitus inspiratos, ut non solum Patres proprio opinione laudati, sed et ipse Hieronymus in præf. ad Paralip. senserunt; cum etiam ex mente Bellarmini revera miraculum sit, tot homines simul conferendo tam brevi tempore in singulis sententiis transferendis convenisse; ac singularis Spiritus Sancti assistentia proinde necessaria fuerit.

ARTICULUS II.

An existat Scriptura Sacra.

12. *Nota. I.* Existere reipsa aliquam Scripturam Sacram facile deducitur ex sequentibus propositionibus, quarum veritatem vel per se certam vel alibi jam probatam hic supponere licet. 1. Existit Deus, seu ens, quo nullum majus aut melius excogitari potest. 2. Deo ab hominibus debetur cultus, seu officia honoris. 3. Norma hujus cultus est Dignitas Dei et ejus beneplacitum. 4. Modus colendi, qui Deo placeat, ex ejus revelatione est addiscendus. 5. Revelatio hæc per rationis lumen communicari potest, et sic est naturalis; vel illud superare potest, et hinc est supernaturalis. 6. Cum experientia constet, rationis lumen in multis circa Deum deficere; consequens est revelationem supernaturalem fuisse necessariam, et Religionem supernaturalem existere. 7. Inter modos revelationem custodiendi convenientior est Scriptura: inter religiones autem sola Christiana est vera et saltem evidenter credibilis. 8. Religio Christiana dirigitur et utitur revelatione scripta, ergo cum hæc religio sit vera, debet existere et dari revelatio scripta seu aliqua Scriptura Sacra.

Quamvis vero ex iisdem principiis colligi queat, Scripturam Sacram in specie et sensu vulgari acceptam existere; nihilominus de ejus existentia aliunde etiam probanda in præsens agetur. Ad quod præstabit inquirere, 1. An libri, qui dicuntur sacri sint veri ac genuini, et non supposititii seu Auctoribus falso attributi: 2. An sint integri, seu non depravati: 3. An sint divini, seu Deum pro auctore principali habeant?

13. *Nota. II.* Circa 1^{am} conveniunt plerique, auctorem Pentateuchi fuisse Mosen, exceptis paucis de morte Mosis aliisque post illam eventis, quæ vel Josue vel Esdras addidisse creduntur: Libri Josue eundem Ducem cognominem, rursus exceptis paucis similibus ab Esdra aut alio Propheta additis: Libri Judicum et Ruth vel Samuelem vel scriptorem incertum, Davide tamen

antiquiorem: Librorum Regum quoad initium Samuelem, quoad sequentia Prophetas alios narratis cœvos: Paralipomenon Esdras et quoad aliqua Prophetas posteriores: Librorum Esdræ primi Esdras ipsum, secundi Nehemiam: Libri Tobie utrumque Tobiam, exceptis duobus ultimis versibus, quos Auctor incertus de morte junioris adiecit: Libri Judith Eliachim Pontificem aut ipsam Judith: Libri Esther Mardocheum et ipsam Estherem: Libri Job Mosen, juxta alios ipsum Jobum: Psalterii totius Davidem: Proverbiorum, Ecclesiastæ, Cantiorum et Sapientie Salomonem: Ecclesiastici Jesum filium Sirach: Prophetiarum tam majorum quam minorum Prophetas, quorum nomina libris sunt præfixa: Machabæorum scriptorem ignotum; quamvis primi Joannem Hircanum, secundi Judam Essæum auctorem quidam faciant. Novi Testamenti auctores vel ex ipsis inscriptionibus vel ex initio scriptionis cognoscuntur et sunt pervulgati. Præterea vero, licet veritati libri non obsit, eum aliquando periisse, postea tamen integre esse restitutum; tamen si quis vel e memoria vel ex inspiratione hanc restitutionem faciat, vel libri ita restituti auctoritas vacillat, vel novum quasi auctorem nanciscitur: hinc pertinet huc illa quæstio ab aliquibus asserta: An Vet. Test. libri aliquando perierint?

Circa 2^{um} observa quæstionem hic non esse: an libri Scripturæ Sacræ sint liberi a mendis vel incuria exscribentium vel oscitantia librorum inspersi? sed ista: an malitia hominum non fuerint quoad partes substantiales depravati et corrupti, quod non nulli tribuunt Judæis quantum ad Vetus, et Hæreticis quantum ad Novum Testamentum.

Circa 3^{um} advertite, quæstionem hic generalem duntaxat proponi necdum descendendo ad singularem divini afflatus modum, de quo in seq. art. agetur.

14. *Dico I.* Libri Scripturæ Sacræ non sunt suppositi, sed omnino veri. *Prob.* Libri illi non sunt suppositi sed omnino veri, qui scripti sunt ab iis auctoribus, quibus tribuuntur, et iis temporibus, quibus exarati feruntur; quia ex his notis alia scripta v. g. Commentarii CÆSARIS, opera CICERONIS aut AUGUSTINI ab omnibus Criticis nominantur vera et non supposita: sed libri Sacræ Scripturæ omnino scripti fuerunt tum ab iis Auctoribus, quibus tribuuntur; tum iis temporibus, quibus exarati perhibentur; ut constat ex perpetua Judæorum et Christianorum traditione, quam et ipsi Ethnici Scriptores circa non paucos libros confirmant, nec ulla solida ratio destruit: ergo.

15. *Dico II.* Nunquam perierunt exemplaria omnia librorum Sacræ Scripturæ. *Prob.* Tempora, circa quæ cum aliquo fundamento asseri posset, exemplaria omnia librorum sacrorum veteris duntaxat Testamenti periisse, sunt tantum duo, nempe captivitatis Babylonice et persecutionis Antiochi Regis; quia priori tempore excisa sunt urbs et templum Hierosolymæ, posteriori autem Rex Legis libros seindi et comburi jussit; sed neutro tempore exemplaria omnia perierunt.

Quod enim *primum* attinet, 1. nec Scriptura, nec JEREMIAS in Threnis, quantumvis alia damna minutatim recensens, jacturæ hujus mentionem facit: 2. Certum est non in sola urbe aut templo Hierosolymitano fuisse

exemplaria librorum sacrorum: incredibile autem videtur a nullo Judæorum etiam pientissimorum, in triplici translatione abductorum, transportatum fuisse exemplar sacrorum voluminum: quin nec a Jeremia, qui arcam et tabernaculum incendio subduxit, ereptos fuisse libros, qui tamen Deut. 31. v. 23. jubebantur reponi in latere arcae foederis: 3. Populus e captivitate redux L. 2. Esd. c. 8. petiit afferri librum legis Mosi, quem et Esdras scriba ibi dem attulisse et prælegisse scribitur. Unde consequitur, nec ex sola memoria humana, nec ex revelatione divina Esdras libros sacros penitus deperditos restituisse, sed eorum exemplaria extitisse etiam infra et post captivitatem Babylonicam, quorum postremum Lib. 4. Esd. c. 14., sed apocryphus insinuat: quamvis illius et Nehemie opera et speciali Spiritus Sancti assistentia purgatum a mendis Scripturam concedamus, quod L. 2. Mach. c. 2. indicari videtur.

Quoad *secundum* patet 1^o quia persecutio Antiochi Regis Syriæ pertinebat solum ad duas tribus Israel et terras dominatui suo subjectas, non autem ad reliquas Orientis partes, in quas et plures alias Judæi dispersi erant: 2^o quia teste S. Jacobo Act. 13. v. 21. ab antiquis temporibus libri Mosi singulis Sabbatis in qualibet Synagoga civitatum legebantur et explicabantur; unde constat nec in ipsa Palæstina funditus deletam esse omnem Scripturam Sacram, præsertim cum nulla ullibi habeatur mentio de restauratione sacrorum librorum post Antiochi tempora: 3^o quia L. 1. Mach. c. 3. ubi mentio fit impii illius mandati, legitur post excidium Hierosolymæ convenisse Judæos, jejunasse, et expandisse libros legis: quin et Jonathas ad Spartiatas ibid. c. 12. scribens dicit, Judæis solatio fuisse sanctos libros, qui sunt in manibus eorum.

16. *Dico III.* Libri Scripturæ Sacræ nunquam fuerunt ex malitia seu de industria universim depravati aut corrupti. *Prob.* de Vet. Testamento. *Imprimis* non fuerunt depravati ante conditam Religionem Christianam; 1. quia hujus depravationis nullus finis assignari potest; neque erat opportunitas, Prophetis plurimis et viris sanctis se alias huic consilio opposituris, aut Samaritanis saltem oblocuturis, qui suum Pentateuchum custodiebant: 2. quia mirabilis erat Judæorum zelus ac veneratio erga sacros libros, quorum testimonia extant tum in ipsis Scripturis Sacris, tum apud Josephum L. 1. cont. Appion. et Philonem apud Euseb. L. 8. Præp. Evang. c. 2. loquentem: 3. quia nec Christus aut Apostoli hoc Judæorum crimen non reprehensum reliquissent, nec Judæos ad legendos sacros Codices et scribas audiendos fuissent hortati: 4. quia depravatio hujusmodi videtur contraria divine providentiæ, quæ teste S. Augustino et aliis Patribus Judæos constituit Librarios, Capsarios et Scribarios Christianorum, qui illos ex vaticiniis servatis convincerent de Christo.

Deinde nec fuerunt depravati post Religionem Christianam. 1. quia ob religionem Judæorum erga sacros libros, subinde quoque superstitiosam, videtur incredibile ausos fuisse eos temerare, et sibi ipsis eripere veritatem: 2. quia odium in Christianos, quod tanquam motivum depravationis Judaicæ assignari potest, impulisset eos ad rem moraliter impossibilem; cum nec Judæi per totum orbem dispersi conspirare uno tempore poterint, nec si ipsi conspirassent, depravare potuerint libros sacros a Christianis

custoditos: 3. quia depravatio, si quæ in odium Christianorum facta foret, maxime concernere debebat vaticinia de Christo et ejus Ecclesia; circa quæ tamen tum satis fortia testimonia supersunt, tum exigua est dissonantia inter textum hebraicum et græcum aut latinum: quin textus hebræus non raro Judæos magis urget, quam versio græca aut latina; 4. quia Patrum nemo de ejusmodi corruptione unquam fuit conquestus; cum querelæ Justinii et Origenis ad versionem 70 Interpretum, Chrysostomi et Hieronymi ad versiones Aquilæ, Symmachi ac Theodotionis pertineant.

Prob. de Nov. Test. similibus fere argumentis. Nam 1. universalem textus græci depravationem impossibilem fuisse, constat tum ex dispersis per omnem terram exemplaribus, tum ex perpetua contentione Catholicos inter et hæreticos; quorum illi si corrupissent, id hi mox exprobrassent; aut illi vicissim, si res ab his foret tentata: 2. nec tempus, nec modus, nec auctores depravationis hujusmodi proferri possunt: 3. neque ante Photii schisma Græci originarium textum corruerant; cum probabile hujus criminis motivum fingi queat nullum: neque post illud exortum; cum in Conciliis Lateranensi 4^o, Lugdunensi et Florentino, ubi tamen plura dissensionum capita proferebantur, Latini nunquam hanc Græcis depravationem objecerint: Scriptores, Episcopi, imo et Sacerdotes aliique ad Scripturam Sacram in horis canonicis legendam adstricti, nihil unquam de hoc crimine sunt suspicati; quod tamen vix videtur credibile, si quæ corruptio foret invecata.

17. *Dico IV.* Libri Scripturæ Sacræ Deum habent principalem auctorem, et sunt auctoritatis divinæ. *Prob.* Libri Sacræ Scripturæ legales conditi sunt ab hominibus sanctissimis, auctoritate patrandorum miraculorum munitis, ac divinitus missis ad promulgandam legem Dei ac Evangelium Christi: prophetici continent prædictiones ignotissimarum rerum eventu ipso accurate comprobatas: sapientiales sanctitatem, puritatem et sublimitatem doctrinæ proponunt humanæ sapientiæ passim inimicam et sæpe superiorem: historici easdem prærogativas vel omnes vel aliquas participant: ergo Deum habere auctorem debent. *Conf.* ex summa auctorum diversissimis temporibus, locis ac conditionibus scribentium consensione et concordia; ex mirabili sacrorum librorum a tanto tempore ac inter tot vicissitudines conservatione; ex religiosissima veneratione, qua tot ac tanti homines libros hos omni tempore sunt persecuti adeo ut pro veritate in iis contenta fortunas ac sanguinem profundere non dubitaverint: ex miraculorum multitudine et insolentia, quibus eadem veritas fuit confirmata etc.

18. *Observa.* Cum Scripturæ Sacræ existentia fundamentale ac pragmaticum Religionis Catholicæ dogma sit, quod proinde et a Deo revelatum et infallibili auctoritate nobis applicatum esse oportet; allata hactenus pro veritate, integritate ac divinitate existentis Scripturæ Sacræ argumenta rem omnem conficere minime possunt, utpote quæ forsitan moralem certitudinem non superant, nec revelationem divinam produunt. Quare præcipuum pro stabilitatis assertionibus argumentum ex Traditionibus atque Ecclesiæ definitione necessum est desumi; ut satis declaravit Augustinus, dum L. 15 de Civ. c. 23. scripsit: *Libri apocryphi vocantur, eoquod eorum occulta origo non claruit Patribus, a quibus usque ad nos auctoritas veracium scripturarum*

certissima et notissima successione pervenit; et ubi L. cont. epist. fundam. C. 4. ait: Evangelio non crederem, nisi Ecclesiæ Catholicæ me moveret auctoritas. Hæc tamen hic indicasse duntaxat sufficiet; cum de isto argumentorum genere infra sit uberius tractandum. Quæ contra ipsam thesium positaram veritatem obmoveri possunt, quoniam per universam Scripturam diffunduntur, methodo compendiaria perstringere non licet; adeoque repetenda sunt ex SCRIPTURA SACRA dogmaticæ et polemice explicata, quam hic loci impressam consulere datur.

ARTICULUS III.

Sub qua ratione et extensione Scriptura Sacra Deum habeat auctorem?

19. *Nota.* Triplex concipi potest modus, quo Deus mentem scriptoris alijus afficiat. 1^{us} est *specialis assistentia*, stans in peculiari auxilio, quo Deus ita adest scriptori, ut ne inter scribendum erret aut mentiendo, aut falsum proferendo, aut defectum quemcumque committendo, qui impediatur, ne scriptio ad Dei directionem referri queat: 2^{us} est *inspiratio*, quæ præter specialem assistentiam dicit incitationem quamdam interiorem motumque insolitum, quo quis ad scribendum impellitur, sine rationis tamen et libertatis periculo: 3^{us} est *revelatio*, quæ memoratæ inspirationi superaddit veritatis antea ignotæ factam divinitus manifestationem. Potest autem trifarius hic modus spectari et pertinere vel ad libri sacri generale tantum argumentum et scriptionem universim, vel ad singulas etiam ejus sententias et veritates earumque ordinem, vel ad singula quoque verba eorumque compositionem seu phrasin et stilum.

Porro ex superiori articulo non tantum contra Atheos et infideles constat, aliquo ex recensitis modo Deum affecisse Scriptores sacros; sed et specialem illis Dei assistentiam esse asserendam, contra ac senserunt olim Anomæi aliique Hæretici a S. Hieronymo refutati, et proximis seculis Erasmus, Grotius, Episcopus, Spinosa, nonnullique Batavi, qui Scriptores canonicos in rebus levioribus, fidem ac mores non spectantibus, sibi fuisse relictos errorique obnoxios docuerunt: quandoquidem hoc casu libri sacri nomen ac essentiam Scripturæ divinæ minime retinerent, neque ex illis argumentum ullum firmum depromi posset; cum instrumentum ex parte falsum reputetur falsum simpliciter, ut Legistæ, l. si ex falsis C. de Transact., docent. Accedunt præter communem Theologorum Orthodoxorum consensum testimonia Patrum, qui Sacram Scripturam non tantum a mendacio et falso, sed etiam ab otioso et superfluo liberam declararunt; qualia sunt S. Clementis in ep. ad Cor. S. Justin. in 2. Apolog. S. Iren. L. 1 adv. hæc. c. 46. et 47. Clem. Alex. in exhort. ad Gent. Ambros. in ep. ad Justum, Hieron. in comment. ep. ad Philem. Chrys. hom. 1. ad pop. Antioch. Augustin. L. 2. de cons. Evang. c. 12. et ep. 8. et 29. Epiphani. hæc. 76. et aliorum.

Præterea etiam facile ab omnibus tribuendum videtur, non omnia in Scripturis Sacris contenta a Deo esse revelata, siquidem revelatio in sensu proprio nuper exposito accipiatur. Quæ enim Scriptores sacri vel oculis viderant, vel ex alienis scriptis didicerant, nequeunt sub manifestatione divina veritatis antea ignotæ comprehendi: Atqui tamen Moses Ægyptiorum